

**Joachimi Diederici Brandis Hildesiensis commentatio de oleorum
vnguinosorum natura : in concertatione ciuium Academiae Georgiae
Augustae IV. Iunii MDCCCLXXXV, ab ordine medicorum praemio ornata.**

Contributors

Brandis, Joachim Dietrich, 1762-1845.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Gottingae : Litteris Joann. Christiani Dieterich, [1785]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/utwcue7m>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

JOACHIMI DIEDERICI BRANDIS
HILDESIENSIS

C O M M E N T A T I O
DE
O L E O R V M
VNGVINOSORVM
N A T V R A


I N C O N C E R T A T I O N E
C I V I V M

A C A D E M I A E G E O R G I A E A V G V S T A E
IV. IVNII C I C C L XXXV.

A B O R D I N E
M E D I C O R V M
P R A E M I O O R N A T A

Nec casia liquidi corrumpitur usus oliui.

G O T T I N G A E
LITTERIS JOANN. CHRISTIANI DIETERICH.
ACADEM. TYPOGR.



Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22372921>

COMMENTATIO

DE

OLEORVM VNGVINOSORVM NATVRA.

§. I.

CATONIS, rei rusticae scriptoris, temporibus oleorum nomen succo Oliuae solummodo proprium fuit *a*); aliis deinde succis inflammabilibus expressis (quos sub nomine oleorum factiorum partim describit PLINIVS), et a posterioribus chemicis, plurimis corporibus cum lentore fluidis, impertitum est. Oleum Vitrioli inde, vel Mercurii igneum ***), cum illo Oliuarum, praeter hanc indolem, ullam vix aliam communem habet. Neque successit recentioribus chemicis hanc terminologiae hallucinationem ex chemica arte plane proscribere; determinantur tamen ab his, sub oleorum nomine, *Corpora leni calore fluida, inflammabilia, et in aqua non solubilia*; materiae inde istae salinae vel ad classes

A 2

magis

a) PLINIVS, Hist. Nat. Lib. XV. c. VIII.

** BOERHAAVE, Elementa Chemicæ, Tom. 2. Proc. CC.*

magis aptas referuntur, vel nomen incongruum abusue tantum
retinent.

§. 2.

HORVM oleorum origo praecipua in corporibus organisatis quaerenda est, forsan sola b)? Non desunt enim in ipsis corporibus, quae olea sic dicta mineralia fundunt, praegressae organisationis vestigia, quae tamen hic recensere rei propositum vetat.

§. 3.

OLEA, in corporibus organisatis praeparata, in duas dispesci possunt classes c): 1. Volatilia, quae odore et saپre gaudent, in spiritu vini soluuntur, et flammam facilius concipiunt, aetherea siue essentialia vocantur; 2. magis fixa, quae non nisi ope ellychnii vel valde calefacta flammam concipiunt, et in statu naturali omnem cum spiritu vini mixtionem respidunt, pinguia audiunt. Haec vi ignis mutata, quod praeferit fit, si ex mixtione cum aliis corporibus destillatione elicuntur, naturam induunt, a praecedenti satis diuersam, et empyreumatica tunc vocantur; repetita tamen destillatione hanc naturam empyreumaticam denuo exiunt, et aethereis similiora fiunt: Oleum animale Dippelii, vel huic simillimum, quod ex oleis pinguibus tam vegetabilium d) quam anima-

b) Verisimilitudinem huius rei, iam pridem receptam, recentiorum observationes auxerunt, quarum Cel. DE LVC *Lettres sur l'histoire de la terre et de l'homme Tom. II. et III. passim*, et nobilis auctoris, *Beobachtungen Zweifel und Fragen die Mineralogie besonders ein natürliches Mineralsystem betreffend. 1ter Vers. Hannov. 1782.* hic allegatio sufficit. Plures concessit et explicavit Cel. HEBENSTREIT in *Versione germanica systematis mineralogici WALLERII Tom. II. p. 101.*

c) MACQVER *Elemens de Chymie theorique p. 190.*

d) CRELLS *Chymische Annalen St. III. p. 230. PVTIVS Comment. Institut. Bonon. Tom. VI. p. 283.*

animalium e) repetita destillatione obtinetur, vel istud quod simili modo ex oleo tartari foetido elicetur f), pro exemplis esse potest. Posterioris census etiam esse videntur, olea sic dicta mineralia; puriora et a natura, vel arte rectificata, aethereorum indolem magis aemulantur, impura, partibus terreis, acido vitriolico vel inde orto sulphure commixta, empyreumaticis similiora sunt, vna quinimmo eorum species (Asphaltum Mumia Linn.) pinguibus non omnino dissimilis est, cuius tamen ortus disquisitio, a naturae scrutatoribus adhuc desideratur g).

§. 4.

Plvs minusue ab his differunt corpora a natura ex oleo et aliis partibus, plerumque vt videtur acidis commixta, ea tamen ratione, vt ad distinctos inter illa ponendos limites ars chemica saepius non sufficiat. Cera hoc modo ab oleis pinguibus ad resinas insensibili quasi gradu transitum facit, et eodem modo olea aetherea per balsama et Camphoram resinis proprius accedunt; sub nomine corporum oleosorum omnia ista comprehendendi solent. Olea pingua in his praesertim inter se conueniunt: omnia aqua leuiora, vel viscide et lente fluida, vel solida, leni calore viscide diffluunt, fluida inde ad compescendas et infringendas aquae undas prosperrimo successu adhibita sunt h); sapore et odore gaudent vix vlo, nisi ab aliis substantiis acquisito; ad certum gradum calefacta, lucem emittunt in obscuro sensibilem i); fortiori

A 3

tantum

e) CRELLS *Chemisches Journal Th. I.* p. 75.

f) HOMBERG in *Memoires de l'Acad. de Paris. Anno 1713.* p. 210.

g) SPOERING et BROWALLIVS in *Sv. Vet. Ac. Handl. För År 1743.*
p. 3-7. GERHARDS *Beyträge. T. II.* p. 111.

h) PLIN. *Hist. Nat. Lib. II. c. 3.* ACHARD *Sammlung physicalischer
und chemischer Abhandl. Berlin 1784. Nr. IX.*

i) VAN MARVM in *Haarlemmer Verhandelingen T. XVI. P. II.* p. 271.

tantum igne ebulliunt et volatilia fiunt; variis cum aliis materiis confuncta, sponte flamمام concipiunt, et pyrophoros fistunt, incisiis saepius funestos *k*). Omnia corpora lubricant, fibram animalem relaxant et debiliorem inde reddunt; acria inuuoluunt et vim eorum corpori animali nocuam, partim infringunt; ab omnibus corporibus, quae circumdant, humorum atque aëris contactum arcent et hoc modo a putredine feruant *l*). Cutaneos poros inde etiam oppilant et omnem per illos commeatum, tam transpirationis, quam resorptionis, inhibent; varia animalia, quae per poros in superficie corporis respirant, occlusis his poris suffocant. Cum variis corporibus, falibus, metallis, terris et pluribus corporibus inflammabilibus, copulam chemicam ineunt et nouam inde adipiscuntur naturam; aëris atque caloris vim ad certum temporis spatium perpetua, fermentationem, in illis rancorem vocatam, subeunt, partes salinee acidæ magis euoluuntur, quae fibram animalem nunc irritant, neroos stimulant, sapore hinc terrent amaricante acri, odore tetro nauseoso, colore obscuro lurido, falia euoluta non omnem respidunt mixtionem cum aquâ et spiritu vini, liquidiora fiunt et in fundum vasis materiam viscidam deponunt.

§. 5.

PLVRIMIS hisce proprietatibus materiae ceraceae cum oleis vnguinosis conueniunt, ita ut olea solidiora illas vocaueris. Diferunt

k) GEORGI in *Actis Acad. Imp. Petrop. Ann. 1779. P. I. p. 19.* *Nordische Beyträge Tom. IV. p. 309.* *Schriften der Berliner Gesellschaft Naturforschender Freunde T. IV. p. 115.* BUCHHOLZ in CRELLS *Chem. Ann. 1784. T. V. p. 411.* *St. VI. p. 483.* CRELLS *Neueste Entdeckungen T. I. p. 84.* *Ibid. Tom. VIII. p. 281.* *Ibid. Tom. XII. p. 254.*

l) ROZIER *Observations sur la Physique 1771. Sept. p. 75.*

ferunt tamen in eo, quod tenaciores et plasticae sint, calefactae sponte flammam concipient *m*), a spiritu vini quidem non soluantur, attamen mutantur *n*), ab aliis menstruis difficilius soluantur et simili fermentationis speciei non subiectae sint. Butyrum e Cacao, quod quodammodo saltim rancescere compertum est *o*) et oleum nucis moschatae expressum *p*) oleorum classem terminare, cera e Myricae fructibus ceraceorum primordium constituere videntur. Ratione acidi in his materiis contenti, parum tamen a pinguedinibus differre videntur *q*).

§. 6.

IN animalibus oleum plerumque in tela cellulosa secernitur, vt vegeti animalis motum faciliorem reddat, teneriores partes a frigore aliquaque iniuriis externis defendat, et in horreo quasi afferuatum, futuro nutrimenti defectui prouideat. Pro ratione vitae generis et naturae animalis, qualitatibus inde gaudet, cuique individuo maxime adaptatis, quas ex oeconomia animalis determinare non difficile est. Sic feuo pinguescunt cornigera, vna parte dentata et quae in pedibus talos habent; adipe non cornigera, bisulca vel scissis in digitos pedibus; oleo fluido aquatilia *r*); a quibus regulis natura vix unquam deflectere deprehenditur.

§. 7.

m) VAN MARVM *l. c.*

n) CARTHEVSER *Dissert. de genericis quibusdam plantarum principiis hucusque neglegitis p. 65.*

o) SPIELMANN *Mat. Med. p. 115.* BEAUME *Elementa de Pharmacie p. 171.*

p) Ad substantias ceraceas hoc refert CARTHEVSER *l. c.* ad pinguedines GAVBIUS *Advers. p. 40.*

q) SVCCOW *Physisch technische Chemie Leipz. 1784. p. 259.*

r) PLIN. *H. N. Lib. II. c. 37.* ARISTOT. *de partibus animalium Lib. II. c. 5.*

§. 7.

In plantis olea vnguinosa praesertim in partibus generationi inferuentibus secernuntur, plerumque in cotyledonibus, nonnumquam tamen in pericarpiis, vel partibus fructificationis masculis. Ratione plantae ipsius, ut germen foueant, frigoris, aëris et humiditatis iniurias a dormiente embryone arceant, suscitatum subinde nutrient^s), ultimum inde plantae productum, totius vitae aestuialis quasi labor sunt. Simili tamen scopo variae aliae materiae inferuiunt, amyrum praesertim, mucilago et materiae ceraceae, rarius ut videtur materiae aciores, in pluribus enim seminibus et si acerrimis unum ex his blandis embryonis nutrientis inuenitur; cuius rei exempla, Sinapis semina, plures e Lauri genere ^t) et Caryophyllorum fructus ^u), nux moschata et ipsum forsan Piper ^x) esse possunt, in seminibus quorum acrimonia in cortice praecipue latet, ut in semine Ricini, Been, in seminibus aromaticis multifilirosarum vel umbellatarum, magis hoc adhuc patet.

§. 8.

SED pro vario plantarum seminumque usu, quem animalibus praefstant, ea est in illis illarumque secretis varietas, ut ex ipsarum indole et oeconomia huius secretionis leges vix determinari possint, et in plantis quam maxime affinibus hac ratione anomiae deprehenduntur, quarum regnum animale plane expers est; sic in Fago syluatica nuces inueniuntur oleofiae, Castaneae amy-

^s) BOERHAAVE *Elem. Chym.* Tom. I. p. 59. (edit Basil.)

^t) Praeter Laurum nobilem de Lauro Cinnamomo SEBA *Phil. Transact.* 1729. Nr. 409. p. 106. et de Faba Pechurim BERGIVS *Mat. Med.* Tom. I. p. 328. hoc constat.

^u) BERGIVS *Mat. Med.* Tom. I. p. 414

^x) GAVBIUS *Advers.* p. 66.

amylum saltim ad plurimam partem vehunt *y*), vel in ordinibus summe naturalibus plantae seminibus oleosis inueniuntur, quorum reliqui ciues amyllum vel mucilaginem in semine generant, ut *Arachis hypogaea z*) et *Robinia Pseudacacia a*) in papilionaceis. Plures tamen ordines naturales, praे caeteris plantas oleosas in censu habent. Horum praecipui sunt:

1. *Siliquosae*. Oleorum usui domestico inferuentium praecipuus fons, nec acriora huius ordinis semina blandi olei expertia sunt. Praecipuae plantae, quae hoc scopo inferuiunt, sunt *Brassica Napus*, *campestris*, *Eruca* et *oleracea*, *Raphanus sativus* et *Raphanistrum*, *Myagrum satuum*, *Sinapis alba* et *nigra b*), *Isatis tinctoria* &c.
2. *Multifilirosae*. Plura semina huius ordinis, et si acria et aromatica, oleum vnguinatum tamen continent. *Paeonia officinalis c*), *Aquilegia vulgaris d*), *Delphinium Staphys-agria e*), *Nigella sativa f*) et *Illicium anisatum g*) ex coadunatis

y) PARMENTIER *Traité de la Chataigne* p. 85. Olei tamen partem simul vehere videntur, saltim sapo ex illis paratur. *Journal d'Agriculture 1782. CRELLS Neueste Entd. Tom. X.* p. 279.

z) LINNÉS *Pflanzenystem* Tom. VII. p. 315.

a) *Ibid. Tom. II.* p. 203.

b) BOERHAAVE *Elem. Chym.* Tom. II. p. 95. LEWIS *Mat. Med.* p. 544. RUTTY *Natural history of Dublin* 1772. T. I. p. 33.

c) ZWELFERI *Animaduersiones in Pharmacopoeiam Augustanam* p. 329.

d) MURRAY *Appar. Medicam. Vol. III.* p. 2.

e) NEUMANN *Chymie P. IV.* p. 219.

f) MURRAY *l. c.* p. 36.

g) *Ibid. p. 565.*

dunatis (cuius tamen semina cum his valde conueniant),
hoc probare videntur.

3. *Compositae*. *Helianthus annuus et multiflorus*, *Carthamus tinctorius*, *Cynara Scolymus h*), *Onopordon Acanthium i*) et semina lactescentia *Centaureae* *benedictae*, *Cardui mariani*, *Arctii Lappae*, *Cichorii*, *Lactucae*, plurimas saltim huius ordinis plantas oleo scatere testantur; ex seminibus *Lactucae* oleum exprimi posse docet *BOERHAAVE k*) et nouam huius ordinis plantam, quae *Chilensis* *oleum suppeditat eximum l*), sub nomine *Madiae satiuae* describit *MOLINA m*).
4. *Vmbellatae*. Etsi harum plantarum oleum, in cotyledonibus latens, raro in usum trahitur, plurimas tamen tale vehere iam obseruavit *GEOFFROY n*), et ex pluribus seminibus in Dispensatoriis exprimentum praescribitur. Oleum aethereum, quod haec semina simul vehunt, eodem modo ac in *Amygdalis amaris* et aliis, in cortice tantum latet, et ex furfuribus simili copia quam ex seminibus integris obtinetur o).
5. *Cucurbitaceae* fere omnes semina lactescentia proferunt, ex quibus oleum, illi *Amygdalarum* vel *Oliuarum* substituendum, exprimere suafum est p). Ex pluribus earum olim in pharmacopoliis oleum

h) *MACQVER Chym. Wörterbuch von LEONH.* T. III. p. 681.

i) *DVRANDE* in *RozIER Journal de physique* 1781. fev. p. 138.

k) L. c.

l) *FEVILLE Voyag.* Tom. III. p. 30.

m) *Saggio sulla storia naturale del Chili Bologna* 1782. p. 136.

n) *Memoires de l' Acad. des sc. de Paris An.* 1721. p. 194.

o) *DE MACHY Dissert. Physico chymiques* p. 391.

p) *Act. Acad. Eleff. Mogunt. Erf.* 1777. p. 65.

oleum exprimebatur, hodie autem pro emulsionibus semina saltim inseruiunt. Neque hic acriorum fructuum semina ut Colocynthidis, excipienda sunt, quippe et haec blande oleum vehunt q).

6. *Solanaceae.* *Hyoscyamus* albus et niger, *Sesamum orientale* et indicum, et *Nicotiana*, plures saltim huius ordinis plantas semina oleosa proferre ut credas suadent.

7. *Tricoccae.* *Ricini* generis plures, ut videtur, species r), *Jatropha Curcas* s), *Tragia inuolucrata* t), *Crotonis* plures species, *Tiglum* u) *sebiferum* x) et *Moluccanum* y), *Sterculia foetida* z), *Hernandia ouigera* a) &c. hunc ordinem ad oleosos referunt, ex *columniferis* *Theam* b) et *Tiliam europaeam* c) ex *trihilatis* *Aesculum Hippocastanum* et *Staphyleam pinnatam* d) in pluribus cum tricoccis conuenientes, hic simul memoro.

B 2

8. Amen-

q) *ILL. MURRAY App. Med. Tom. I.* p. 411.r) *FUCHS et HVSCHKE Diff. de oleo Ricini adulterato Jen. 1782.* p. 2.
HEYER in CRELLES Chem. Annal. 1784. St. 7. p. 27. *Ricinus inermis* JACQ.? Conferatur *ILL. praceptoris MURRAY edit. XIV. System. Vegetab.* p. 865.s) *BERGIVS Mat. Med. Tom. II.* p. 775.t) *LINNÉS Pflanzenystem Tom. IV.* p. 497.u) *BERGIVS Mat. Med. Tom. II.* p. 768.x) *OSBECKS Reise* p. 245.y) *LINNÉS Pflanzenystem Tom. IV.* p. 527.z) *Ibid. Tom. II.* p. 382.a) *Ibid. Tom. II.* p. 269.b) *KAEMPFERI Amoenit.* p. 605.c) *MARGGRAF Memoires de Berlin 1772.* p. 3.d) *LINNÉS Pflanzenystem Tom. II.* p. 144.

8. *Amentaceae* *Fagus syluatica* (*Castanea?*). *Iuglans regia*, *alba*,
et *nigra e*), *Corylus auellana*, *Pistacia vera* et *Lentiscus oleosa*
semina proferre compertae sunt. Ex glandibus *Quercus Ro-*
boris oleum exprimere docuit LE MERY f). Nonnullae hu-
ius ordinis plantae, oleo omnino foetae, etiam in amentis
verum vnguinofum elaborant, vt *Corylus auellana g*).
9. *Coniferae*. *Pinus pinea* et *Cembra*, *Taxus nucifera h*) et
ipsa harum plantarum indoles, plura semina oleosa ex hoc
ordine promittunt.
10. *Palmae*. Plures huius ordinis arbores, regionibus calidio-
ribus nuces suppeditant, quae amygdalaceae pro cibo infer-
uiunt, vel oleum in plerisque vt videtur butyraceum fun-
dunt. *Phoenix dactylifera*, *Cocos nucifera* et *butyracea i*).
Elais guineensis k) prae caeteris hac ratione cognitae sunt.
Num *butyrum bambucinum l*) ex hoc ordine prouenit?
11. *Pomaceae*. In his omnes forsan drupaceae, et plures bac-
ciferae.

DE reliquis ordinibus ne a potiori quidem aliquid deter-
minare audeo. Nonnulli quidem plura genera seminibus oleosis
includunt, quae tamen hac ratione cum conciuibus, minus con-
uenire

e) KALM in *Vet. Acad. Handl.* 1769. p. 104.

f) *Cursus Chymicus, oder vollkommer Chymist von ZIMMERMANN* p. 656.

g) *Berliner Sammlungen. B. VII.* p. 602.

h) KAEMPFERI *Amoen. exot.* p. 814.

i) BERGIVS *Mat. Med. Tom. II.* p. 881.

k) JACQVINI *Select. stirp. american. hist.* 280. t. 172.

l) BOMARE *Dictionnaire raisonné d'Hist. Naturelle.* GAVBIUS *Advers.* p. 41.

uenire videntur e. g. Columniferae praeter iam dictas Theobroma Cacao et Gossypium, Oleraceae Rhizophoram Mangle et Lauri genus, Personatae Antirrhinum maius *m*), Lomentaceae Guilandinam Moringam, Asperifoliae Lithospermum officinale *n*), Verticillatae Saluiam hispanicam *o*) et. s. p. Plantae, quae pericarpiis oleum vnguinosum secernunt, magis adhuc in natura solitariae, sibi similes in ordinibus suis vix coniunctas habent; sic Olea europaea et Daphne Laureola *p*) naturam satis diuersam habent, et in distinctos ordines hinc referuntur.

§. 9.

OMNIA haec olea tam animalium quam vegetabilium et si originem adeo dissimilem trahunt, in plurimis tamen ita conueniunt, ut vix ullus constet character genericus, qui certos inter illa poneret limites. Omnia ex phlogisto vi salis acidi cum aqua coniuncto et parte forsan terrea *q*) commixta sunt. Acidum istud pinguedinis in solidis saltim oleis tam in sebo bouillo quam in butyro e Cacao *r*), simillimum compertum est. Num differt in fluidis? In oleo aquatilium saltim differentia non magna esse videtur *s*) cum oleis vegetabilium fluidis experimenta hucusque scio

B 3

nulla

m) S. G. GMELINS Reisen Tom. III. p. 78.

n) Abh. der freyen ökon. Gesellschaft in Petersb. Tom. III. p. 76.

o) CHAPPE DE AVTEROCHE Voyage en Caleifornie p. 59.

p) VAN SWIETEN Praelect. Tom. I. p. 638. PLIN. H. N. Lib. XV. c. 7. VIRGIL. Georg. Lib. II. v. 466.

q) Qnam tamen aduentitiam et heterogeneam credit Cel. SCHEÉLE Abhandl. von Luft und Feuer von LEONHARDI p. 91..

r) Conf. III. CRELL Abh. in Chem. Journal. Tom. I. p. 60. et Tom. II. p. 152. seqq.

s) JANSEN Dissert. Pinguedinis animalis consideratio physiologica et pathologica Lugd. Bat. 1784. p. 20. et seqq.

nulla, quae eo scopo et qua pars est cura instituta sint, ut acidum ex illis cum reliquarum pinguedinum acido comparari posset t). Hinc ut ad rem chemicis hucusque dubiam illustrandam aliquid saltim conferrem, sequens institui experimentum:

AD eliciendum ex oleo Raparum acidum, methodum elegi, ab Ill. CRELL indicatam u): Olei Raparum libram unam, cum lixiuio caustico ex salis tartari vnciis quatuor a me ipso confecto, miscebam et per plures dies ad digerendum reponebam; saponem inde obtinebam viridem, consistentiae syrapi spissioris. Hunc in aquae destillatae libris quatuor dissoluebam et per bihorium coquebam. Solutioni ebullienti, Aluminis puluerisati tantillum iniciabam, quo, efferuescentia maxima orta, olei pars tenax viridis in superficiem eructabatur. Oleum istud hauriendo tollens, de novo Aluminis vncias circiter quatuor, paruis semper dosibus, iniciabam, usque dum in liquore omnino claro omnis efferuescentia cessaret. Hunc liquorem per filtrum traiiciebam et ad euaporandum reponebam. Sal inde obtinebam albidiissimum, qui tamen in crystallos redigi non poterat, in calore fortiori nigrescebat. Huius salis vnciis tribus, in retorta, acidi vitriolici concentrati vnciam unam et dimidiam suprafundebam et vas recipiens celerrime applicabam; fine caloris adiumento, vapores albidi in vas recipiens iam transcendebant; leni calori retortam exponebam et, solutis post trihorium vasis, acidi fumantis flauicantis drachmas

t) Recentiorum nonnulli in hoc acido praecipuum differentiam quaevisere (JANSEN *Diff. cit.* p. 55.), et in oleis vegetabilium acidum sacchari suspiciati sunt (Cels. SVCCOW *Physisch technische Chemie* Leipzig. 1784. p. 166.); quod tamen experimentis comprobari non potuit (Cl. WESTRUMB in CRELLS *Chem. Annal.* 1784. St. III. p. 229.). PVTIVS (in *Comment. Inst. Bonon.* Tom. VI. p. 413.) ex oleo oliuarum acidum nuper obtainuit, sat is concentratum, quod acidum vitrioli esse contendit — rationibus tamen quae rem omni analogiae aduersam vix probant.

u) CRELL *Chem. Journal* Tom. II. p. 116.

drachmas circiter tres obtinueram, quod acidi pinguedinis characteres vix dubios p[re]se ferebat. Praeter signa acidi generalia

- 1) Valde fumans nullum spargebat odorem sulphureum, sed illum acido pinguedinis proprium.
- 2) Solutionem facchari saturni praecipitabat et praecipitatum partim in acido Nitri resolutebatur.
- 3) Idem contigit cum Mercurio sublimato.
- 4) Cum sale tartari valde effervescebat et massam salinam constituebat, quae primo quidem in crystallos redigi non poterat, calcinata autem leniter et denuo in aqua destillata soluta, crystallos fistebat illis terrae foliatae tartari non dissimiles.

Vas recipiens nunc denuo applicabam et ignem augebam, primum liquor transibat acidus, subturbidus, qui odorem sulphureum spargens acidum vitrioli phlogisticatum immixtum habere indicabat, et tandem guttulae olei nigri empyreumatici; in retorta massa nigra resinosa in aere libero humescens remanebat. Ex hoc experimento id saltim probatum esse videtur: *acidum pinguedinis in oleis vegetabilium unguinosis fluidis non plane abesse*, vti acidum facchari e contrario tam in pinguedinibus animalium quam vegetabilium non omnino deest ^{ss)}, et hac ratione saltim nullam intercedere differentiam genericam inter olea vegetabilium et animalium.

In aliis partibus constitutiis remotis varii hanc differentiam genericam quaesiuerunt, vti CHARDENON ^{tt)} in parte terrea,

FR.

^{ss)} Cel. SCHEELE in *Nya Kongl. Acad. Handligar.* 1783. Nr. 10.
CRELLS *Chem. Annal.* St. II. p. 99.

^{tt)} *Memoires de l'Academie de Dijon*, Tom. II. p. 9.

FR. HOFFMANN et alii in alcali volatili pinguedinibus animalium inmixto, sed ne in prooemio nimis longus sim, huius aliorumque opinionum disquisitioni supersedeo, quippe quae neque experimentis comprobatae neque illis aliorum chemicorum congruae sint.

§. 10.

NEQVE in partibus constitutiis proximis, olea vegetabilium, ab illis animalium, omnino differunt. Harum praecipuae sunt:

- 1) Materia viscida, quae per rancorem ex oleis deponitur et quam primum GEOFFROY *uu*) propria encheiresi in lampadibus obtinuit, cel. DE MACHY *x*) postea accurate descripsit. Tenax est, leni calore nigrescit, in aëre cum nitore siccescit, omnem cum aqua et spiritu vini respuit mixtionem et in oleis difficulter tantum soluitur. Cel. DE MACHY aequa illam in pinguedine aquatilium, alcali volatilis vestigio, vix conspicuo, commixtam inuenit.
- 2) Materia dulcis a cel. SCHEELE primum in oleis vegetabilium detecta et ab ill. praceptor MVRAY descripta *y*) nuper etiam a cel. inuentore e pinguedinibus animalium obtenta est *z*).

§. 11.

IN aliis tamen partibus, heterogeneis quasi, olea vegetabilium ab illis animalium differunt.

1. Materia

uu) *Memoires de l'Acad. de Paris* 1741. p. 412.

x) *Dissert. Physico chymiques* p. 482.

y) *Diff. Dulcium naturam et vires expendens Praef. Ill. MVRAY Resp.*
FR. BEHRENS *Goett.* 1779. p. 11.

z) *L. supra citatis.*

1. Materia ex corticibus praecipue, vel ex parenchymate seminum, oleis admisceri videtur, et proprietates illis impertire, quae sinceris oleis non conueniunt, saepius, si cortex acrimoniam habet, noxias. Sic e. g. ex feminibus Ricini non decorticatis olei expressi guttula in lingua ardoris sensum iam procreat a), et noxios effectus nuper adhuc in oleo Ricini obseruatos b) huic materiae potius quam improbae adulterationi adscripserim. Idem fere de nucleis Been et glandibus Fagi syluatichi obseruatum est, et in feminibus, quorum cortex similem acrimoniam non habet, colorem saltim, odorem et saporem oleis impertit. Suadet inde cel. OETINGER c) glandes Fagi in mola prius enucleare, et cel. ROZIER d) simili scopo feminibus Raparum lixiuum causticum infundere, deinde solutione Aluminis illa abluere iubet e). Pro ratione modi, quo exprimuntur olea, quo harum materialium

a) DVNANT in *Journal de Med.* Tom. XLIX. p. 44. *Abhandlungen für praktische Aerzte* Tom. IV. p. 304.

b) GRVNER *Almanach für Aerzte und Nichtärzte* 1783. p. 167 - 171.
FUCHS et HVSCHKE *Diff. de oleo Ricini adulterato.* Jen. 1782.

c) *Act. Acad. Mogunt.* Erford. 1777. Nr. 3.

d) *Traité sur la meilleure maniere de cultiver la Navette Par.* 1774.

e) Id tamen memorandum mihi hic obuenit, olea ab his partibus heterogeneis immixtis, difficiliter liberari, quam varii chemici crediderunt. Summa cura methodum a Cel. STRVVE (*Bernisches Magazin B. I. St. I.* p. 103.) indicatam, repetebam, et oleum Lini repetitis vicibus aqua feruente et arena miscebam et saepius agitando per biduum diligerebam, color tamen et odor, postquam oleum per filtrum traieceram, vix mutati fuerunt, (assentit mihi in hoc Cel. OETINGER l. c.) neque successit, ut odorem spiritu vini, quem repetitis vicibus cum oleo Lini miscebam et agitabam, omnino demerem, omni spiritu per evaporationem separato, odoris vestigium semper remanebat. Eodem modo Cl. GREEN (*CRELL N. E.* Tom. VIII. p. 113.) non successit, odorem hunc nauseosum, repetita coctione oleorum cum aqua, delere.

riarum maior vel minor copia illis admiscetur, vel ipsa plus minusue destruuntur, eaedem oleorum species saepius valde inter se differunt.

2. In animalium pinguedine similis pars heterogenea immixta videtur *f*), quae cum gelatina animali forsan conuenit *g*).

§. 12.

Ex his partibus heterogeneis praecipua, inter pinguedines animalium et vegetabilium olea, repetenda esse differentia videtur, quac praeter odorem et saporem (originis, animalis vel vegetabilis saepius testes non ambigui) in hisce praeferentim se exserit:

1. Pinguedines animalium pro ratione consistentiae multo citius in rancorem vergunt; hinc eorum usus in medicina internus, quem denuo suasit cel. HAGSTROEM *h*) ad eos saltim casus limitandus videtur, quo inuoluendi et emolliandi tantum scopus nullum a rancore minitatur periculum.
2. Ad putredinem partes illae animales corpus simul disponunt; hinc earum vis nocendi in morbis acutis noxam, quam olea vegetabilium per rancorem afferunt, longe adhuc superat.
3. Alimentum melius forsan, ex eadem caufsa, a pinguedinibus animalium expectari potest, hinc usus pinguedinum animalium

f) LORRY *Memoires de l'Acad. de Med. Année 1779.* p. 102. *Auserlesne Abhandlungen für praktische Aerzte Tom. VIII.* p. 130.

g) JANSEN *Diff. cit.* p. 8.

h) *Anmärkningar om Axungia animalium eller Djurs Ister in Sv. Vet. Acad. Handlingar för År. 1772.* p. 278.

lium alimentaris, in plurimis regionibus frequentior et gratior.

HAEC praemonuisse sufficiat, quo corporum inquirendorum, oleorum scilicet vnguinosorum vegetabilium, genus constituerem.

§. 13.

DIFFERENTIARVM nonnullas hic determinare propositum est, quae sensibus usurpari vel experimentis demonstrari possunt. Qualitates, quae has differentias praecipue suppeditant, sunt:

- 1) Qualitates externae, odor scilicet sapor et color. Indolem et copiam heterogeneorum oleis admixtorum quodammodo determinare videntur, et ex his saepius de virtutibus medicis iudicium ferri potest. Sic olei Lini vis antispasmodica, prae caeteris laudata, odore indicari videtur.
- 2) Grauitas specifica. Hanc in libra hydrostatica Leupoldiana inquisiui, quae denarii directorii dimidii superpondium satis euidenter indicabat. Fluida olea in lagenula vitrea ponderaui, epistomio vitreo et collo satis angusto instructa, quae aquae destillatae den. direct. 553. continebat. Experimenta in temperatura media 60° Th. Fahr. bis repetebam et mediam proportionem inueniebam. Ampullulam ab omni adhuc inhaerente oleo praecedentis experimenti, per chartam bibulam mundificatam, libra semper testabatur.
- 3) Consistentia et gradus, quo frigore olea coguntur. Experimenta circa hanc rem saepius repetere anni tempus permisit. Praeter oleum Lini omnia olea frigore coegi, et distinctio inde in olea, quae frigore non coguntur, et quae faciliter coeunt, naturae non omnino congrua esse videtur, quippe

cum nonnulla olea, quae difficilius congelascunt, similes habent qualitates quam alia, quae facilime consistunt, e. g. oleum Amygdalarum dulcium oleo Oliuarum similis est, quam reliqua, licet difficilius saltim lentius cogatur, quam oleum Papaveris albi et nucum Juglandum. Saepius omnia simul frigori exposui, semper idem obseruaui. De adulteratione vel rancore vnius vel alterius suspicio mihi non erat. Omnes has qualitates ut characteres oleorum specificos simul describere, rei compendium esse credidi.

- 4) Relatio oleorum ad alia corpora, eorum cum his mixtio et vis, qua alia corpora soluunt. Ea hoc scopo institui experimenta, quae pro determinandis oleorum differentiis aptissima credidi. Si quid tantum in hac re, a chemicis ut videatur parum exculta, praestiterim, temporis spatium satis arctum, ea quae manca sunt, excusabit.
- 5) Virtutes medicas praesertim anthelminticas ex variis experimentis, extra corpus humanum institutis, determinari posse, REDI aliorumque de hac re merita demonstrant. Ipse similia experimenta instituere et hoc modo quaestioni a summo Medicorum Ordine propositae, pro modulo sufficere, in votis habebam, sed anni tempus et ex corporibus viuis vermes obtinendi manca occasio talia absoluere impediebant, quae vlo modo digna habere possem, ut publice in medium proferentur. Aliorum obseruationes colligere, quaestionis propositum et ipsa exinde exspectata rei utilitas vetabant.

Oleorum vnguinosorum characteres specifici

§. 14.

- 1) *Butyrum e Cacao.* Albidissimum, consistentia sebi bonilli, minus tamen vnguinosa et digitos minus inquinans. Odor et

et fapor leuiter aromaticus. Grauitas specifica 0,910; calore 136° Th. Fahr. vncia dimidia diffilit post min. prim. 36 consistentiam axungiae recuperat calore 72°.

- 2) *Oleum nucis moschatae expressum.* Flauum ab oleo aethereo, quo extracto per spiritum vini, vel acidum nitri, album fit. Textura quodammodo lamellosa, consistentia fere praecedentis, odor aromaticus, fapor vnguinosus, sub finem distincte aromaticus, grauitas specifica 0,912 calore 126° vncia dimidia diffilit post min. pr. 30, consistentiam recuperat calore \pm 66°.
- 3) *Ol. baccarum Lauri expressum*, flauo rubens, consistentia axungiae anserinae. Odor specificus aromaticus, fapor vnguinosus, sub finem amarus. Grauitas specifica 0,911; calore 126° post min. prim. 15 diffilit, consistentiam recuperat calore 54°.
- 4) *Ol. Sesami.* Dilute citrinum, omnino pellucidum, odor et fapor vix sensibilis. Grauitas specifica 0,915; frigore \pm 4° spissescit \pm 38 soliditatem axungiae porcinae colorem citrino pallidum acquirit.
- 5) *Ol. Oliuarum*, subflauum, minus pellucidum, odor et fapor obscure specificus, grauitas specifica 0,913; congelascere \pm 36° incipit omnino spissum colore citrino fit \pm 34°, in globulos quasi crystallifatur \pm 29°.
- 6) *Ol. Carthami.* Dilute citrinum omnino pellucidum, odor et fapor vix vllus, grauitas specifica 0,915. frigore \pm 36 turbidum fit, \pm 30° colore pallido solidefcit, aucto frigore in globulos vix conspicuos crystallifatur.

- 7) *Ol. Hyoscyami* subflauum (illo oliuarum dilutius). Odor et sapor vix sensibilis, grauitas specifica 0, 913. frigore $\text{F} 36^\circ$ turbidum fit, $\text{F} 30^\circ$ colore pallido solidescit, aucto frigore in globulos vix conspicuos coit.
- 8) *Ol. Sambuci ex arillis* fusco viride, odor et sapor vix sensibilis, grauitas specifica 0, 924, frigore naturali $\text{F} 12^\circ$ non coit, artificiali 0. colore dilutiore consistit, frigore $\text{F} 26^\circ$. post min. pr. 7. iterum deliquescit.
- 9) *Ol. Ricini* glauco viridecens, opacum. Consistentia tenax, quam etiam aucto frigore non omnino seponit. Odor et sapor vix sensibiles, grauitas specifica 0, 954. i); frigore artificiali 0. colore succini, pellucidum fere, solidescit, $\text{F} 26^\circ$. post min. prim. 5. pristinam consistentiam et colorem recuperat.
- 10) *Ol. Pap. albi.* Citrino flauum, valde limpidum, inodorum, dulce; grauitas specifica 0, 922; frigore artificiali 0. colore pallido consistentiam axungiae obtinet, quam in frigore $\text{F} 26$ post tres horas non omnino seposuit, sed pallidum et tenax remansit.
- 11) *Ol. nucum Juglandum.* Dilute citrinum, omnium limpidissimum, odoris et saporis expers. Grauitas specifica 0, 920. frigore 0. axungiae consistentiam, colorem pallidum obtinuit, quam frigore $\text{F} 26^\circ$. post min. pr. 4. denuo amisit.
- 12) *Ol. Been* pallido flauicans, pellucidum, odor et sapor plane nullus, grauitas specifica 0, 917, frigore $\text{F} 18^\circ$. turbidum
- i) In hac omnia reliqua olea vnguinosa, etiam pinguedines animalium, antecellit! Num pro signo probitatis haberi potest?

bidum, opacum, tenax fit. In artificiali o. colore citrino consistentiam axungiae acquirit, $\text{F} 26.$ post min. pr. 3. de-nuo deliquescit.

13) *Ol. Amygdalarum dulcium.* Citrino flauum, pellucidum, odor et sapor obscurus amygdalaceus. Grauitas specifica o, 911; frigore naturali $\text{F} 12^\circ$ non cogitur, artificiali o. post horas quatuor tantum consistentiam axungiae acquirit, quam frigore $\text{F} 26.$ post horas 3. non omnino seposuit.

14) *Ol. Raparum,* flauo rubens. Odor et sapor specificus nau-seofus. Grauitas specifica o, 902; frigore $\text{F} 12^\circ$ non cogi-tur, artificiali o. post horas tres colore pallido consistentiam axungiae acquisiuit, quam frigore $\text{F} 26^\circ$. post minut. 7 de-nuo seposuit.

15) *Ol. Lini.* Rubens. Odor et sapor specificus, nau-seofus (subnarcoticus). Grauitas specifica o, 928, frigore -4° colorem pallidiorem induere videbatur, omnino illud vt co-gerem non successit k).

k) Oleum Onorum, quod nonnulli ad olea vnguinosa referunt (LEON-HARDI in MACQVER *Chym. Wörterbuche sub. lit. Fette Oele*), iure ex hac classe eliminandum credo, cum praeter parandi methodum minus cum vnguinosis conueniat, quam vlla pinguedo animalis. Cum acido Nitri digestum ad dimidiam ponderis partem materiam albam seponit, quae originis animalis vestigia non dubia prae se fert, ipsum in resinam sulphuream conuertitur.

OLEORVM MIXTIO

CVM ACIDIS.

§. 15.

A. Cum acido vitrioli.

SOLO hoc cum acido olea in spones acidos conuerti, experimentis ill. ACHARD *l*), MACQVER *m*), CORNETTE *n*) aliorumque *o*) hucusque institutis compertum est. Ipse ex praeescriptione cel. ACHARD hos spones paraui. Olei calefacti partes tres acidi vitriolici partibus duabus sensim in mortario vitro affundendo et massam plus minusue efferuescentem aquae destillatae partibus sex eluendo; omnes hi spones sapore gaudebant subadstringente, amaricante; odore specifico resinoso; in aquae destillatae feruentis partibus circiter 16 solui se finebant, solutio agitata valde spumescebat, ex refrigerata tamen pars saponis denuo secedebat. In spiritu vini omnino soluebantur, solutio colore coeruleo deflagrabat et massam duram relinquebat. Ipsi difficiliusflammam alebant, quam olea pura.

- 1) Oleum Lini, Papaueris albi, nucum Juglandum, Sambuci ex arillis et Ricini acido commixta quam maxime efferuescebant, et plurimum vaporis sulphurei exhalabant, massam constituebant fusco nigram, consistentiae extracti non valde insipisci, in aqua difficilius, quam reliqui spones, colore fusco soluebantur.

2) Oleum

l) ROZIER *Journal de Physique* 1780. Dec. p. 404.

m) *Memoires de l'Acad. des sc. de Paris* 1776. p. 379. CRELLES *Chem. Journ.* Tom. V. p. 172.

n) *Memoires de l'Acad. des sc. de Paris.* An. 1780. p. 542.

o) ROZIER *Journal de physique* 1777. Aout p. 305. 1778. Avr. 157.

- 2) Oleum Sesami, Carthami, Amygdalarum dulcium et Been,
minus effervescebant, et vaporis sulphurei minorem copiam
eructabant; massae obtentae fuscae consistentiam sebi habe-
bant, et in aqua destillata colore fuscescente soluebantur.
- 3) Oleum Oliuarum et Hyoscyami vix effervescebant, sed mox
in massam tenacem coagulabantur, quae eluta, consistentiam
cerae fere adepta, facillime in aqua solui se finebat.
- 4) Butyrum e Cacao, Ol. nucis moschatae et Ol. Lauri, vix ef-
feruescebant, sed mox in massas grumosas conuertebantur,
quae in aqua destillata facillime quidem solui poterant, pars ta-
men olei nondum mutati in superficie solutionis natabat; ma-
iorem itaque copiam acidi haec olea ad saturationem requirere
videtur.

ODORE et sapore hi sapones vix inter se differebant, nisi
quod illi nr. 1. fortiore gauderent odore, sapore magis amari-
cante. Ol. nucis moschatae ab oleo aethereo immixto odorem
specificum obtainuerat, quem cum illo Anethi graueolentis com-
parauerim.

- 5) Acidum Vitrioli concentratum nigrum eodem modo
olea in sapones conuertebat, sed massae inde obtentae magis
fuscae odorem spargebant resinorum, et difficilius in aqua sol-
vebantur.
- 6) Acidum Vitrioli paullo dilutius olea etiam aggrediebatur, sa-
pones inde obtenti colore gaudebant dilutiori rubro fusco, et
difficilius colore lactescente in aqua soluebantur.
- 7) Acidum Vitrioli, cum partibus duabus aquae destillatae com-
mixtum, olea plane non aggrediebatur, per digestionem olea
D colorem

colorem inde induebant nigro fuscum, numquam tamen omnino cum aqua commisceri poterant.

DECOMPONVNTVR hi spones, vti ab Ill. ACHARD obseruatum est, ab omnibus salibus alcalinis, terris alcalinis et metallicis, quae in acido Vitrioli facile soluuntur, ab acido Nitri, et Salis, salibus pluribus mediis, quae vnum vel alterum ex his acidis pro basi habent, Nitro prismatico, Sale ammoniaco, butyro Antimonii; et ex propriis obseruationibus his adiungo Mercurium nitratum, Aurum et Stannum in aqua regis solutum, Argentum et Bismutum nitratum. Non decomponuntur a sale communi, Nitro cubico, et Mercurio praecipitato albo, Cupro, Stanno et Plumbo. Spones nr. 3 et 4, etiam ab aceto concentrato et salibus mediis, quae acidum vegetabile pro basi habent, decomponuntur. Vtus horum saponum in medicina forsan non exiguus esse posset. Laudantur a pluribus *p*), vt resoluens praesertim, contra concretiones in cystide fellea. Nemini tamen quantum scio successit omnem saporem amaricantem subadstringentem his saponibus demere, neque obseruationes in ipso corpore humano institutae hucusque innotuerunt. — Num contra vermes ab his saponibus aliquid expectari potest? Pluribus saltim indicationibus hoc respectu sufficere videntur, et satis tuto experimenta cum illis institui posse, certus scio.

§. 16.

B. *Cum acido Nitri.*

OMNIA olea descripta (vniuscuiuscunque vnciam dimidiati), cum vncia vna aquae fortis Nordhusanae, quae duplex a pharmacopolis vulgo

p) Praeter iam allegatos a Cel. MACQVER *Chymisches Wörterbuch* vers. Cel. LEONIARDI Tom. V. p. 30. idem in *Journal des scavans* sept. 1776. p. 113. MORVEAU in eodem Libro fevr. 1777. p. 51. CORNETTE in *Histoire de la Société de Medicine Ann.* 1779. Nr. XII.

vulgo nominatur, et cuius grauitatem specificam 1,358 inueniebam, commiscebam in vitris cylindricis, quae aquae vncias circiter sex continere poterant; nulla inde orta efferuescentia post nycthemerum olea supra natantia nullo modo mutata inueniebam. Omnia digestioni mediocri ad 100° Th. fahr. circiter exponebam.

- 1) Oleum Lini et Papaueris albi omnium primum, tunc oleum nucum Juglandum, et postea Ol. Sambuci ex arillis multo calore efferuescebant, ita ut mixtiones vix in vitris continere possem, olea picea spumosa multum eructabant vaporis resinosi dulcis, acidum Nitri tamen tantillum redolentis. Refrigeratis vitris, massa nunc resinosa, spumosa, per totum vitrum diffusa, apparebat, illa olei Lini et Papaueris albi nigra, olei Sambuci ex arillis et nucum Juglandum colore sulphureo tincta. Acidum volumine imminutum, colorem nonnihil flauicantem induerat.
- 2) Ol. Been, Sesami, Carthami, Ricini et Raparum dein efferuescebant multa spuma pallida, similem eructabant vaporem resinofum; calor tamen et spuma multo mitiores erant, ac in praecedentibus. Refrigeratis post bihorium vitris spuma plane considerabat, olea consistentiam sebi colorem pallidum induerant.
- 3) Ol. Oliuarum, Amygdalarum dulcium et Hyoscyami modice tantum efferuescebant spuma pallida; similem sed copia minorrem eructabant vaporem, refrigeratis post bihorium vitris, olea consistentiam balsami, colorem succini induerant. Acidum volumine imminutum nullo modo colorem mutauerat.

SIMILI digestioni haec denuo exponebam; post biduum circiter omnia eandem sebi consistentiam, colorem pallido luteum addepta sunt.

- 4) Butyrum e Cacao, Ol. nucis moschatae et Lauri expressum vix spumescebant, nec consistentiam mutabant, (nisi quod ol.

nucis moschatae colorem luteum ab oleo aethereo in mixto ortum, exuerit), neque protracta digestione aliquid in illis mutatum videbatur.

- 5) Omni acido autem per euaporationem seiuncto, protracta digestione omnia haec olea (2-4), etiam solida, cum nigrore consistentiam resinofam obtinebant.
- 6) Acidum (nr. 1 — 4) ab oleis relicturn cum salibus puris alcalinis miscebam, Nitrum obtinebam prismaticum et cubicum, quod in crystallos regulares facile redigi poterat, neque vllum, ex fluido, oleum secerni videbatur.
- 7) Omnes obtentae resinae odorem subdulcem haud ingratum habebant, quem etiam post plures menses non perdiderunt, saporem amarum resinofum.
- 8) Aqua specifice grauiores, omne cum illa respuebant conubium.
- 9) In spiritu vini plus minusue solubiles erant: nr. 1 et 5 in quauis fere proportione, minus solubiles nr. 2 et 3, vix balsama nr. 4.

Spiritus vini ex hac solutione colore caeruleo deflagrabat, resinam paullo fusciorum relinquebat. Multa aqua commixta solutio, resinam non valde mutatam seponebat.

- 10) Olea vnguinosa omnes has resinas resolutebant.
- 11) Valde calefactae resinae sponte flammam concipiebant, omnium primum illae nr. 1. vix balsama nr. 4.
- 12) Cum acido vitrioli concentrato tritae nullo modo mutabantur, et acidum nihil ex illis resolutebat.
- 13) Neque acidum falis illas mutabat.

14) Lixinium alcalinum causticum resinas decomponebat et oleum spissum plerumque rubrum fundum petebat, mox autem materia saponacea marmorata ex albo et rubro in fundo vasis apparebat.

15) Cum solutione Vitrioli martis has resinas digestioni exponebam; solutio fuscum induit colorem, et mixtio tantillum sedimenti pallido rubri seposuit, refrigeratis vitris nihil tamen in resinis praeter colorem inueni mutatum, scil. colorem nigrum induerant, saporem et odorem retinuerant.

16) Cum sale communi cocta non mutabantur.

17) Cel. WESTRVMB *q*), nuper destillatione olei Oliuarum cum acido Nitri sal sublimatum obtinuit, cuius alteriorem disquisitionem tamen adhuc expectamus. Ill. ACHARD *r*) ex Oleo Anisi cum acido Nitri digesto per crystallisationem materiam crystallisatam, quae simili modo sublimari poterat, obtinuit. Num analogiae quid hae duae materiae inter se habent? Protracta digestione olei Oliuarum cum acido Nitri, spiculae viridescentes, plures lineas longae, tenuissimae, in acido fluitare mihi videbantur, copia tamen nimis parca, quam ut illas inquirere potuisssem.

§. 17.

C. *Cum acido salis.*

OMNIA dicta olea cum spiritu salis Glaub. commiscens, nulla inde orta alteratione, digestioni illa exposui; post plures horas omnia induebant colorem fusciorem, primo olea Lini et Papaureis albi, dein simili modo ol. Oliuarum, solida vix mutabantur.

D 3

Protracta

q) CRELLS *Chemische Annalen* 1784. St. III. p. 229.

r) *Physisch chemische Schriften* Nr. III.

Protracta digestione et omni acido fere exhalato, olea tamen nec in massam solidam coacta, nec in aqua solubilia euadabant. Spiritum vini colore nonnihil fuscescente tingebant, acidum parum mutatum videbatur, cum acido Vitrioli concentrato valde effervescebant et verum saponem acidum efficiebant, qui parum ab illo A. differebat, aequo coniungebantur cum acido Nitri, et resinas supra descriptis simillimas sistebant, quae tamen omnes colorem fuscescentem induerant.

§. 18.

D. *Cum Aceto methodo Westendorfiana parato.*

OLEA cum hoc acido commixta, primum quidem cum illo coire videbantur et per plures horas alblicantia supranatabant, postea vero denuo secedebant; oleum amygdalarum solummodo nonnihil mutatum videbatur ^{s)}, colorem albicantem retinens. Omnia deinde digestioni 200° exponebam; maximo fragore mox olea a vaporibus in vitris circumspergebantur, refrigerata tamen vix mutata apparebant. Oleum Ricini tantum colorem obtinuerat succini, consistentiam paullo spissiorem quam antea, acetum turbidum inde factum apparuit, et post plures horas sedimentum seposuit, quod tamen nihil metallici continere videbatur, spiritui vini, oleum ita mutatum, coloris flauicantis vestigium impertiebat; protracta tamen digestione acetum ulteriore mutationem olei non procreabat.

NEQVE successit acetum cum oleis per sapones coniungere, quam methodum Cel. MACQUER ad conficiendos sapones acidos vitriolicos laudauit ^{t)}.

i) Solu-

^{s)} Idem obseruauit Ill. ACHARD *l. c.*

^{t)} *Chymisches Wörterbuch*, sub. tit. *saure Seifen*. *Mem. de l' Acad. de Paris* *l. s. c.*

- 1) Solutioni olei Oliuarum acetum concentratum infundebam; solutio colorem lacteum induebat, et post plures horas oleum limpidum supernatabat.
- 2) Eodem modo oleum parum mutatum a sapone sicco separabatur.

§. 19.

E. *Mixtio oleorum cum salibus alcalinis fixis.*

PRO varia ratione oleorum, sapones qui ex hac mixtione oriuntur, consistentia et colore differunt, quod usum eorum in rebus domesticis plus minusve utilem reddit. Ratione consistentiae id pro regula habetur: Olea, quae frigore difficiliter coguntur, numquam saponem constituere solidum et siccum u) et inde, non nisi in defectu aliorum oleorum, vegetabilium, vel animalium huic scopo inseruire. Eaedem tamen exceptiones hic locum habere videntur, quae supra iam memoratae, et experimentis cum acidis (praecipue B. 3) comprobatae sunt. Oleum Amygdalarum etsi difficiliter a frigore cogitur, nihilominus saponem fatis siccum constituit, Oleum Pap. albi e contrario et nucum Juglandum numquam in saponem solidum cogi possunt x).

EXPERIMENTA eo institui scopo, ut proportionem salis alcalini ad saturationem oleorum requisihi, et consistentiam saponum, qui inde obtinentur, quodammodo determinarem. Non desunt difficultates in his experimentis, quae omni diligentia ea absolvare fere prohibent. 1) Punctum saturationis non distincte indicatur. 2) Lente tantum salia cum oleis coeunt, 3) Aquae proportio

in

u) GEOFFROY *Memoires de l'Acad. des sc. de Paris* 1741. p. 411. SPIELMANNI *spicilegium circa saponum historiam* in *Nov. Actis N. C.* Tom. III. p. 445.

x) SPIELMANNVS *l. c.*

in lixiuio, magnam differentiam in experimentis parat. Quo magis dilutum sal causticum (vsque ad certum gradum), eo maior pars olei soluitur, sal causticum solidum s. lapis causticus ad minimam partem tantum cum oleis coniungitur.

- 1) Lixiuium pro hoc scopo parabam causticum, ex sale tartari partibus duabus et calce viua, parte vna, ita ut huius lixiuii grauitatem specificam inuenirem 1,018, et vncia eius vna falsis alcalini caustici contineret gr. 22.
- 2) Cum huius lixiuii vnciis duabus commiscebam 1) Butyri e Cacao, 2) Olei Oliuarum, 3) Amygd. dulc., 4) Been, 5) Pap. albi, 6) nucum Juglandum, 7) Lini, 8) Raparum, vniusculiusque vniciam dimidiad in vitris cylindricis, et omnia saepius agitando digestioni exponebam.
- 3) Post nycthemerum omnibus mixtionibus cremorem supernantem inueniebam, album in nr. 1. 2. 3. 4. 5. in reliquis viridem. Plurima pars olei puri in nr. 1, supernatabat, maior in 2. 3. minima in 4. 5. 6. 7. 8.; cuique vniciam dimidiad lixiuii superfundebam, et denuo in digestionem reponebam. Sequenti die in sapone Pap. albi, nucum Juglandum, Lini, Raparum et Been nihil fere olei puri videbatur, in illo Oliuarum et Amygdalarum pars adhuc, in sapone butyri e Cacao plurima pars supernatabat. Prioribus (Oliuarum et Amygdal. dulcium vniciam dimidiad, posteriori butyri e Cacao) vniciam vnam lixiuii adhuc commiscebam, quo omne fere oleum subactum videbatur. Omnes sapones in digestionem nunc reponebam, qua tremor in superficie sensim in liquore soluebatur.
- 4) Sapo ex butyro e Cacao primum in massam gelatinosam griseo fuscum (vt butyrum liquefactum) vnciarum trium cum drachmis duabus coagulabatur, quae denuo in aqua destillata soluta

soluta et euaporata saponem sistebat valde durum, albidissimum, fragrantem.

- 5) Oleum Oliuarum in similem gelatinam griseam drachmarum 18 translabit.
- 6) Oleum Amygdalarum dulcium in similem gelatinam drachmarum 18.
- 7) Ol. Been ad drachmas duodecim euaporatum, gelatinam pellicidam, minus tamen cohaerentem, constituebat.
- 8) Reliqui spones ad drachmas 10 euaporati, nondum gelatinam omnino cohaerentem, sed magma in Ol. Pap. albi albidum, in reliquis viridescens, referebant, protinus euaporationi expositi sensim siccescere incipiebant, numquam in veram gelatinam cogeabantur.
- 9) Reliqua olea simili modo, sed minori quantitate cum lixiuio miscebam. Oleum Ricini et Sambuci ex arillis omnium celerime commiscebantur, solutio, primum lactescens, postea in magma viride coibat.

Oleum Sesami, Carthami et Hyoscyami, oleo Oliuarum similiora, in gelatinam albida abibant.

- 10) Oleum nucis moschatae expressum gelatinam luteo fuscarn referebat.
- 11) Oleum Lauri similem gelatinam.

ODOR oleorum per hanc mixtionem haud destruitur; immo fere exaltatur; sapo praesertim ex butyro e Cacao odorem gratiorum, quam in ipso butyro inuenitur, induisse videbatur, sapo ex oleo Lini et Raparum magis tetrum. Neque odor destruitur, dum olea denuo a sale separantur.

PROPORTIO, quam ex meis experimentis inuenisse mihi videor, haec est:

Butyri e Cacao ad sal alcali = 30 : 11. Olei Oliuarum et Amygd. dulc. = 240 : 77.

Reliquorum oleorum, quae saponem minus solidum fitunt 80 : 33. Per combustionem saponum GEOFFROY copiam salis in illis contenti inuenit: proportionem olei in sap. Alon. 4 : 3. SPIELMANNVS in Maffiliensi 5 : 3.

in Veneto 8 : 3. Cum parte quarta tamen salis oleum Oliuarum in saponem conuerti posse obser-vavit SPIELMANNVS.

Pro vsu medico hi sapones facillime hoc modo per digestionem parari possunt, et suadet inde hanc methodum praeter GEOFFROY, cel. BERGIVS y); praeter quod sub coctione oleum plus minusue rancedine affici potest, a certa proportione salis ad oleum tutior effectus etiam expectari posset.

SED non omnino requiritur sal alcali causticum pro combinatione oleorum, etiam salia aërata, lentius tamen et difficilius, cum oleis miscentur z).

12) Salis Sodaee depurati drachmam vnam in aquae destillatae vnciis tribus dissoluebam, et olei Oliuarum vnciam dimidiam admiscebam. Solutio colorem mox induebat lacteum, olei tamen plurima pars in superficie natabat. Post quatuor dies, quibus mixtio faepius ebullierat, drachmae circiter duae olei sinceri in superficie nabant, his demitis reliquus liquor in gelatinam albam per euaporationem coagulabatur.

13)

y) *Mat. Med. Tom. I. p. 15.*

z) SPIELMANN l. c. 444. BRAGNATELLI in CRELLS *Chem. Ann.* 1784. St. III. p. 106.

- 13) Simillimo modo se habet sal boracis cum oleis; in multa aqua solutus, duplum circiter olei in saponem conuertit, crystallisatus difficulter et ad minimam tantum partem in oleis soluitur; vstum per biduum in oleo Lini digestioni saepius fortissimae exposui, citra vllum solutionis signum. Reliqui sales medii multo difficilius (plurimi plane non), cum oleis iunguntur, experimenta, quae cum nonnullis pro hoc scopo institui, indicare licebit.
- 14) Vitriolum martis per octo dies cum oleo Oliuarum calori non mediocri expositum, nec oleum sensibili modo mutabat, nec ipsum mutabatur, praeter quod a calore calcinatum esset. Multa aqua solutum et cum oleo coctum partem olei in massam viridem vnguinosam conuertere videbatur, quae ab infuso gallarum nigrum colorem fuscipiebat.
- 15) Cum sale communi nullo modo olei mutationem procreare licuit.
- 16) Neque cum sale ammoniaco,
- 17) Cremorem tartari per bihorium cum oleo Oliuarum et aqua coquebam, nulla tamen inde oriebatur alteratio.
- 18) Simili modo salem mirabilem coquens, liquor parum lactescere videbatur, in oleo tamen nulla alteratio obseruabatur.
- 19) Nitrum nullam effecit alterationem.

F. *Miscela oleorum cum metallis.*

§. 20.

MATERIAE, quae ex hac mixtione oriuntur, vt videtur, in aqua solui non possunt, et perperam inde saponum nomen obtinent.

nent. Plures quidem chemici mixtionem Cerussae cum oleis vnguinosis in aqua ad partem solui contendunt ^{a)}, vt videtur tamen, materiam dulcem SCHEELII ex oleis pro solutione ipsius emplastri habuerunt. Proprium inde constituant mixtorum genus, quod proprio nomine (*vernices* forsan?), denominari meretur.

§. 21.

I. *Cum plumbo.*

1) Oleum Oliuarum, Pap. albi, nucum Juglandum, Raparum, Lini et Amygdalarum dulcium vniusculiusque vnciam vnam cum rasurae Plumbi drachma vna in vitris cylindricis in locum temperatum seposui, vbi olea a frigore cogi non poterant. Post nycthemerum in oleo Pap. albi nubecula alba in superficie Plumbi iam apparuit, a liquore vini probatorio colorem nigricantem iam suscepit, reliqua olea omnia ex Plumbo nihil solutum habere videbantur.

Post quatuor dies in oleo Lini, Raparum et nucum Juglandum soluti Plumbi vestigium per hepar arsenicale inueniebam, post octo dies tantum in oleo Oliuarum et Amygdalarum dulcium. Post duos menses Oleum Papav. albi turbidum et paullo tenacius, colorem griseo album induerat, in superficie Plumbi tamen praeципue materia grisea tenax apparuit, quae per quassationem quidem cum oleo misceri poterat, mox tamen denuo fundum petebat. Abluto a Plumbo omni oleo, per lixivium causticum defectum ponderis inueniebam ad gr. 8; Ol. Lini, Raparum, et nucum Juglandum pari modo colorem albidiorem induerant, ita vt Oleum Oliuarum subturbidum quodammodo aemularentur, odorem tamen specificum retinuerant, pondus Plumbi soluti ad gr.

a) GEOFFROY *l. c.* DE MACHY *l. c.*

gr. 5. inueniebam, Oleum Amygdalarum et Oliuarum colorem parum mutauerant, soluti Plumbi nubecula tantum grisea in superficie Plumbi haerebat, pondus Plumbi soluti gr. 1 - 1 $\frac{1}{2}$, vix superabat. Omnia tamen cum liquore vini probatorio colorem indebant omnino nigrum. Butyrum e Cacao per tres dies in digestionem cum rasura Plumbi seposui, colorem tunc monstrauit cum liquore vini probatorio nigrum, praeterea tamen parum mutatum apparuit b).

Ex omnibus his solutionibus Plumbum colorem non mutauerat, sed splendorem metallicum, melius quam in aëre libero, feruauerat.

Cvm calcibus Plumbi mixtionem ineunt olea, in artibus et Chirurgia satis cognitam. Consistentiam, quam nonnulla olea cum Lithargyrio cocta acquirunt, cel. DE MACHY c) determinauit. Libram vnam oleorum cum vnciis octo Lithargyrii coquens, ex oleo Oliuarum emplastrum obtinuit commune, similem consistentiam vt acquirerent reliqua olea, admisceri oportuit cerae copiam
 1) Oleo Pap. albi vncias duas; 2) Lini vnciam vnam et dimidiam;
 3) Oleo nucum Juglandum et Raparum drachmas quatuordecim.

PER affinitatem reciprocam simili fere modo olea via humida cum calcibus metallicis coniungi possunt:

1) Saponi alcalino ex oleo Oliuarum in aqua destillata soluto, solutionem facchari Saturni infundebam, post plures horas materia emplastri coagulata in fundo vasis haerebat, liquor, qui

E 3 ter-

b) Plumbum in forma metallica ab oleis vnguinosis solui, oleorum adulterandi methodos monstrat, quam inquisiuit et iure damns ut NEWMANNVS in *Miscell. Berol. Cont. III. CRELLS Neues Chem. Arch. Tom. II.* p. 260. Idem testatur BOERHAAVE *Elem. Chem. Tom. I.* p. 750.: miror ideo Cel. DE MACHY hoc negare, *Diff. Ph. Ch. l. c.*

c) L. c. p. 405.

terram foliatam tartari solutam tenebat, omnino limpidus superficiem tuebatur. Massa ex liquore seiuncta, odore et natura plastica parum ab emplastro communi differebat. In superficie liquoris vix ullum seiuncti olei vestigium apparuit.

- 2) Idem experimentum cum sapone alcalino olei Amygdalarum instituebam; emplastrum obtentum parum a praecedente differebat, in liquoris superficie cuticula alba vernici similis natabat.
- 3) Sapo Olei Pap. albi eadem methodo decompositus, massam albam seposuit, consistentiae vnguenti, in superficie cuticula alba, vernici similis crassa natabat.
- 4) Sapo Olei Lini decompositus, massam in fundum seposuit vnguento similem, viridem, odore tetro, in superficie liquoris cuticula viridis natabat.
- 5) Simili modo se habuit sapo ex oleo nucum Iugl. et Rapurum, praeter quod prioris sedimentum, odoris tetri expers esset.

LIQVORES supernatantes, praeter terram foliatam tartari et facchari Saturni partem nondum decompositam etiam oleofas partes solutas habere videbantur, quae crystallisationem impediebant.

S. 22.

2. Cum Zinco.

- 1) Oleorum supra nominatorum vnciam vnam cum Zinci frustulis drachma vna, in locum temperaturae mediae seposui. Post nonnullos dies oleum Pap. albi Zincum cuticula alba obduxerat, quae difficulter tantum cum oleo miscebatur, a Zinco seiuncta, hoc splendorem metallicum non seposuisse apparuit. Olea Lini, nucum Iuglandum, et Raparum post octo dies hanc cuticulam in Zinco tantum efficiebant, Olea Oliuarum et Amygdalarum

dalarum dulcium vix post quatuordecim dies. Post duos menses oleum Pap. albi Zinci satis largam quantitatem soluerat et in fundum vasis seposuerat. Haec massa tenax, plastica, alba erat, per trituram in oleis quodammodo solui poterat, sed minime in spiritu vini vel aqua, candela admota difficilime flammam concipiebat. Oleum ipsum parum metalli soluisse videbatur, pristinum colorem seruauerat, nec ullo reagente metalli soluti vestigium monstrabat. Copia Zinci soluti in Oleo Pap. albi gr. 8 circiter esse videbatur, multo minor in reliquis, ita ut in oleo Oliuarum vix gr. 1 superaret. Zincum splendorem metallicum non seposuerat. Commixtionem calcis Zinci cum oleis vnguinosis per coctionem hucusque suscepit esse nescio. Per affinitatem reciprocam hoc suscepi.

- 2) Vitrioli albi solutionem cum saponis alcalini olei Oliuarum solutione miscebam; materia praecipitabatur alba, caseosa quasi, quae a liquore per filtrum seiuncta, in massam albam, pinguem, vix tamen cohaerentem et plasticam coibat.
- 3) Cum sapone ex oleis Pap. albi et Been massam praecipitabat albam, consistentiae vnguenti tenacis.
- 4) Cum sapone Ol. Lini et Raparum simile vnguentum, viride, tenax, odoris tetri.
- 4) Zincum acido Nitri solutum, saponibus infusum, coagulum simile effecit, paullo tenacius tamen in sapone Ol. Oliuarum, liquidius in reliquis oleis.

§. 23.

3. *Cum Cupro.*

Cum oleis dictis vniuersique vncia vna, limaturaee Cupri drachmam vnam commiscebam. Post triduum omnes colorem viri-

viridescentem contraxerant. Post duos menses praeter colorem nihil mutatum apparuit, nullum in fundo sedimentum, et Cuprum splendorem metallicum parum perdidicerat. Oleum Pap. albi etiam in hac solutione reliqua, copia soluti Cupri, antecellere videbatur, colorem induerat multo magis fuscum. Copiam soluti Cupri distincte determinare non successit, quia limatura Cupri ab oleo omnino seiungere, non sine illius iactura fieri poterat, quounque tamen hoc in oleo Pap. albi licuit, vix gr. 5 superare videbatur, certe copiam soluti Plumbi (§. 18. 1), non adeo superabat, vt vsus Cupri culinaris et ad vasorum continentia, magis quam vasorum ad maximam partem plumbeorum, dissuaderi mereretur d).

BUTYRVM e Cacao cum limatura Cupri per triduum digestum, ita vt Butyrum semper *liquefandum* esset, colorem omnino induebat viridem, lamellae cupreae tamen, vt in omnibus solutionibus, splendorem metallicum parum seposuisse videbantur e).

OMNIA ista olea Cupro tincta, neque cum spiritu salis ammoniaci colorem extrahebant caeruleum, neque cum liquore vini probatorio suscepiti Cupri vestigium monstrabant, sed eodem modo, ac pura, in flocculos pallido albos ab illo cogebantur. Caueendum inde ne his signis in disquisitione olei Cupro adulterati nimium fides habeatur. Mixtionem oleorum cum calce Cupri eodem modo ac in praecedentibus via humida perficere suscipiebam:

i) Solutio Vitrioli Cupri cum sapone olei Oliuarum massam precipitabat caeruleam, quae siccata pinguis quidem sed vix cohaerens

d) PLIN. H. N. Lib. XV. c. 6. "Quare saepius die decapulandum,,(oleum); praeterea in conchas et plumbeas cortinas: aere vitari" male sane suasum, quod recentiores tamen imitati sunt! V. NEVMANN l.c.

e) Butyrum e Cacao Cuprum soluere, a variis negatur, V. *Observations sur le Cacao et la Chocolate vers. Germ.* p. 61.

rens et plastica erat, colore caeruleum etiam in aëre libero seruabat.

- 2) Praecipitatum e sapone olei Pap. albi et Been consistentiam vnguenti, colore saturate viridem, gratum, habebat, cum splendore in aëre siccescebat.
- 3) Oleum Lini et Raparum similem materiam cum calce cupri constituebat, odore tamen illo ingrato, qui isti oleo proprius est.
- 4) Cuprum in acido Nitri solutum, et cum solutione saponis olei Oliuarum coniunctum, massam fistebat in liquore coeruleam, quam maxime tenacem et plasticam, in aëre libero colore saturate viridem contrahentem. Similem illa spargebat odorem ac emplastrum commune, chartae illita hanc vernice haud ingrata splendente viridi obducebat.
- 5) Vernices liquidiores obtinebam ex sapone olei Pap. albi et Been;
- 6) Saturate virides splendentes ex oleo Raparum et Lini.

Spiritus salis ammoniaci colore coeruleo totius massae maximam partem resolutebat.

§. 24.

4. *Cum ferro.*

- 1) Olea dicta cum limatura ferri descripta methodo reponebam.

Post duos menses tamen vix mutationem oleorum memoratu dignam obseruare contigit, neque ullum in oleo solutionis vestigium apparuit.

- 2) Solutionem Vitrioli Martis cum sapone ex oleo Oliuarum miscebant; praecipitabatur materia caseosa coeruleo grisea, color huius materiae fatis amoenus *f*) sub aqua per plures dies immutatus remansit, dummodo autem massam pinguem attamen non omnino cohaerentem et plasticam aëri exponerem, colorem indebat ferrugineum, primum in superficie, deinde per totam massam. Odorem spargebat aëris inflammabilis.
- 3) Saponem olei Pap. albi in massam tenacem sub aqua coeruleam in aëre rubram praecipitabat *g*);
- 4) Saponem olei Lini in similem massam fusco rubram.
- 5) Ferrum in acido Nitri solutum cum sapone olei Oliuarum massam constituit paullo magis cohaerentem et plasticam, rubram, odore emplastrum communis.

§. 25.

5. Cum Stanno.

- 1) Olea per duos menses, cum laminis stanni (Stanniol dictis), asseruata, nullum solutionis vestigium monstrabant, et si hic per libram optime iudicium ferri poterat, neque solutio successit, dum olea digestioni saepius fatis forti exponerem.
- 2) Stannum in aqua regis solutum, ex sapone olei Oliuarum massam praecipitabat albo flauicantem, pinguem, quodammodo tamen friabilem.

3) Cum

- f*) Vti in sapone Veneto marmoreo obseruatur, certissime inde maculae tam coeruleae quam rubrae in hocce sapone ab auripigmento ortum non trahunt, vti statuit Ill. Dv HAMEL in *Traité des Arbres T. II.* sed ex Vitrioli martis praecipitato ambo colores oriuntur, quod in Germania nunc etiam fatis cognitum est.
- g*) Non semper tamen color iste coeruleus oriebatur, tunc praesertim ruber fieri videbatur, si salis alcali copia abundaret, hinc sapo butyri e Cacao colore saturate ferrugineo praecipitabatur.

- 3) Cum sapone ex oleo Lini massam consistentiae fere vnguenti, viridem, odore illo tetro, constituebat.

§. 26.

6. *Cum argento.*

- 1) Nullum apparuit in oleis solutionis vestigium.
2) Argentum in acido Nitri solutum ex sapone olei Oliuarum massam praecipitabat albam, pinguem, non valde tenacem.
3) Ex sapone olei Lini vnguentum viride odore tetro.

§. 27.

7. *Cum Auro.*

- 1) Aurum bracteatum, in oleo Pap. albi et Oliuarum per duos menses afferuatum, nullo modo solui videbatur.
2) Solutio Auri in aqua regis sapone olei Oliuarum commixta, materiam purpuream fecernebat, tenacem, coloris valde grati, in aëre non mutabilis.

§. 28.

8. *Cum Bismutho.*

- 1) Metallum ipsum in oleo Oliuarum et Papaueris albi post duos menses nullo modo solutum fuit.
2) In acido Nitri solutum, cum saponibus similes massas albas praecipitabat ac Zincum.

§. 29.

9. *Cum Hydrargyro.*

- 1) Ab ipsis oleis plane non soluebatur.

F 2

- 2) Oleum

- 2) Oleum Oliuarum et Papaueris albi vniuscuiusque vnciam vnam cum Hydrargyri drachma dimidia per horas duas in mortario lapideo conterebam. Olea Hydrargyri scrupulum vnum ad grana viginti quinque fusceperant, et colorem nigro fuscum induebant. Post plures dies pars olei (drachma circiter vna), pura supernatabat, reliqua pars colorem et Hydrargyrum fusceptum retinebat, ita vt post duos menses vix ultra grana sex Hydrargyri viui in fundum vasorum deponerentur. Non omnino inepta inde esse olea vegetabilium, pro vnguentis e Mercurio viuo, videntur.
- 3) Calx Mercurii lutea e solutione acidi Nitri cum sale fixo alkalino praecipitatata, cum guttulis nonnullis olei mixta, nullo modo fulminabat (vt fit cum sulphure *h*). Cum maiore copia olei Lini cocta, hoc in vernicem luteam abibat, mixtio tamen (antequam efferuescebat) multa spuma valde crepitabat, butyrum e Cacao colorem exinde contrahebat nigrum.
- 4) Mercurius nitratus cum sapone olei Oliuarum commixtus, massam albam praecipitabat, quae post nycthemerum in griseam, tenacissimam, odoris emplastri saturnini coibat, omnibus reliquis tenuior erat.
- 5) Cum sapone ol. Papaueris albi vnguentum griseum constituebat.
- 6) Viride vnguentum odoris tetri cum sapone olei Lini.
- 7) Mercurius sublimatus lente spones decomponebat, solutio lacteum tantum colorem induens euaporationi exposita massam pinguem lutescentem reliquit.

§. 30.

10. *Cum Antimonio.*

- 1) Regulus Antimonii medicinalis oleis non soluebatur.

2) Tar-

h) ROZIER Observ. et Memoires 1774. fevr. p. 129.

- 2) Tartarus emeticus solutionem saponum lacteo tantum imbuens colore verum praecipitatum non constituebat.
- 3) Regulus Antimonii acido Nitri solutus cum sapone olei Oliuarum massam praecipitabat griseam, non valde tenacem.
- 4) Viride vnguentum cum sapone olei Lini.

PRAECIPITATA (§. 21. nr. 1. 22. nr. 2, 24. nr. 2. et 27. nr. 2.) coloribus gaudent, illis non omnino dissimilibus, qui ab alcali phlogisticato metallorum calcibus impertiuntur. Quid num solum phlogiston hos colores procreat, vel num simile principium colorans in his saponibus generatur? Ex analogia cum oleo animale Dippelii, quod simili modo sali tartari principium colorans imperit i), ultimum non omnino dissimile veri videtur. — Etsi reuera adest hocce principium colorans, unde alcali volatile ortum trahit, quod partem eius constituit k)? — Num generatur ex fixo et oleo? Quaeſtionibus implicor, quas euoluere vires praecipue denegant, et propositi scopus vetat. Ne vero temere de re quaeſiuiffe videar, quae experimentis cel. WIEGLEB omnino absoluta et negatiue disceptata credi posset, in nota nonnulla huius generationis alcali volatilis ex oleo et alcali fixo a cel. WIEGLEB partim non memorata allegare licebit l) exempla, quibus forſan

F 3

che-

- i) Cel. WESTRUMB in CRELLS *Neuesten Entd. Tom. XII.* p. 137.
- k) Cel. SCHEELE in *Nya Kongl. Sv. Acad. Handlingar för År 1783.* p. 32. CRELLS *Neueste Entd. T. XI.* p. 91.
- l) 1) HÖMBERGII experimenta, qui cum oleis vnguinosis et empyreumaticis destillatis sal volatile (sal ammoniacum pinguedinis?) obtinuisse refert, (*Mém. de l'Acad. des sc. de Paris 1714.* p. 241. CRELLS *Neues chem. Arch. T. I.* p. 129.) fide non omnino indigna videntur.
 2) Alcali volatilis ortus, quod iam SEGNERVS et deinde III. CRELL in *analyſi ſebi bovilli* obtinuit (CRELLS *Chem. Journal T. II.* p. 119.) nec ab ipſo III. CRELL, nec a Cel. LEONHARDI (*MACQVER Chym. Wörterbuch sub. tit. Oele.*) ita explicatus videtur, vt omnis de illo
quae-

chemici attentionem in rem excitare succedit, quae vñteriori di-
squisitione non indigna videtur.

§. 32.

G. Cum terris alcalinis.

- 1) Olea plura terrae Aluminis, Magnesiae et calcareae (tam calci viuae quam aëratae) infundebam, cum omnibus pasta quodanmodo tenax inde oriebatur, quae tamen vera mixtio olei cum terris nominari non meretur, numquam massa uniformis et homogenea fuit, sed partes terreae oleo tantum quasi conglutinatae videbantur, neque in oleis solui se sinebant *m*).
- 2) Per affinitatem reciprocam autem mixtio saltim melius succedit, et corpora inde existunt, illis ex metallis analogis, minus tamen cohaerentia et plastica.
- a) Sic ex oleo Raparum cum terra Aluminis hac methodo commixto (v. supra §. 7.), materiam obtinebam viridem, gelatinosam, odore illo tetro saponis ex oleo Raparum, quae leni calore fortiter intumescebat, in aëre lentissime siccescebat, et tunc non omnis splendoris expers erat.

2) Ex

quaestio absoluta sit. 3) Ex oleis aethereis et alcali fixo alcali volatile obtinuit STAHLIVS (*Fundam. Chymiae edit. Norimb. 1742. p. 320.*) cui etiam non omnem fidem denegat SPIELMANNVS (*Spicil. circa saponum histor. l. c. p. 457.*). 4) Ex oleo animali Dippelii (quod ipsum alcali volatile continere dubito) et alcali fixo, alcali volatile obtinuit Cel. WESTRUMB. (l. c.) 5) His accedit quod copia alcali volatilis, in lixiuio sanguinis, maior esse videtur, quam ex solis partibus animalibus, quibuscum confectionum est lixiuum, expectari posset. Conf. Cl. GREEN in CRELLS *Chem. Annal. 1784. St IX. p. 234.* 6) Aliud exemplum huius transmutationis refert DEMESTE in *Lettr. chym. Vol. I. p. 75 et 81.* et e contrario transmutationis alcali volatilis in alcali fixum SAGE *Mineral. Vol. I. p. 8. 9. et 22.* MACQVER *Chymie theorique p. 212.*

m) Idem afferit SPIELMANN. l. saepius c LORIMER *Dissert. de oleis; Basilei 1781. p. 23.* veram mixtionem hanc pastam credere videtur,

- 2) Ex sapone olei Oliuarum, cum sale anglicano commixto, gelatinam obtinebam paullo magis consistentem, albidissimam; viridem ex oleo Lini.
- 3) Similes massas minus tamen ut videbatur cohaerentes, ex terra calcarea in acido Nitri soluta obtinui. Similem mixtionem quotidie sub sensus cadere, verbulo attigisse non incongruum spero. Sapo si soluitur in aqua, quae terram calcaream in acido aëreo vel vitriolico solutam tenet, flocci qui inde oriuntur, tale mixtum ex oleo et terra calcarea consti-
tuunt, quod indole gaudet, puro oleo vix conuenienti. In aqua feruidissima non disfluunt hi flocci, per filtrum ab aqua separati, in mediocri calore spuma intumescunt, in lixiuio caustico decomponuntur et terra calcarea fundum petit. In aqua solo aëre fixo saturata, sapo multo lentius decomponitur, solutio semper lactescit, numquam ipsis floccis, et olei guttulae post longam remoram in superficie liquidi lactescentis nantant. Copiam terrae in aquis contentae, hoc modo, accuratius forsitan quam cum acido vitriolico, determinari posse cre-
diderim. —

§. 33.

Nvm omnia ista corpora tam ex metallis quam terris reuera mixta chemica sint, diiudicare non suscipio, hoc tamen sal-
tim compertum habeo, eodem modo terras hic cum oleo coniun-
ctas esse, ac in emplastris coctione paratis vel vernicibus, neque
ab illis substantiis valde abludere videntur, quae §. 18. nr. 1. et
§. 19. nr. 1) per spontaneam solutionem metallorum in oleis ob-
tinui. Olea praeterea qualitates adepta sunt, quae puris oleis haud
conueniunt; scil. in calore mediocri spumescunt, nec inde eliquatur
oleum, in aëre siccescunt, et corpora splendore induunt, flam-
mam praeterea difficulter tantum concipiunt et q. s. r. Attentionem
chemi-

chemicorum in haec corpora excitasse, mihi hic sufficit, quae faciliori methodo parata, ad varios usus adhiberi posse, non dubito.

CONSISTENTIAM praecipitatorum recensitorum, non a sola copia salis alcalini, pro saponificatione oleorum exhibiti, oriri sed ad maximam saltim partem, naturae olei ipsius adscribendam esse, persuasum mihi habui, dum saponem ex oleo Lini pararem, in quo salis copia illam in sapone olei Oliuarum longe superaret, praecipitatum ex hoc semper tamen tenacius et liquidius fuit.

§. 34.

H. *Cum sulphure.*

1) OLEVM Amygdalarum dulcium, 2) Oliuarum, 3) Papaveris albi, 4) Lini, 5) Raparum, 6) nucum Juglandum, vniuscuiusque vnciam vnam cum drachmis duabus florum sulphuris commisceret et omnia simul calori mediocri exponebam, quem sensim ita augebam, ut oleum Lini ebullire inciperet. Omnia olea plurimam partem sulphuris soluisse videbantur, et colorem purpureum induerant. Refrigeratis vitris 1) Oleum Pap. albi, Lini, Raparum et nucum Juglandum colorem saturate purpureum omnino seruauerant, in fundum vasis tamen partem sulphuris in spiculis splendentibus, saepius pinnatis, colore luteo rubro tintis, seposuerant. 2) Oleum Amygdalarum dulcium colorem paullo dilutiorem induerat et maiorem sulphuris partem seposuisse videbatur. 3) Oleum Oliuarum pristinum colorem flauicantem denuo recuperauerat, odorem balsami sulphuris debilem tantum spargebat, et plurimam saltim sulphuris partem in spiculis adeo densis seposuerat, ut earum figura vix distingui posset n).

2) Multo faciliori negotio ex lege affinitatis electiuae vel reciprocae copula oleorum cum sulphure fit o).

a) Solu-

- a) Solutioni hepatis sulphuris olei Pap. albi satis largam copiam commiscebam; decompositio eodem fere momento fiebat, et liquor primo colorem luteo fuscum deinde autem fusco purpureum in duebat, in fundo vasis flocci collecti erant tenaces, odore balsami sulphuris imbuti.
- b) Simile experimentum cum oleo Oliuarum me instituente, liquor etiam mox decomponebatur, et colorem in duebat sulphureum, post longam remoram plurima pars sulphuris colore sulphureo in oleo supernatante haerebat, sed non soluta videbatur, flocculi vix conspicui in fundo vasis collecti erant, nec liquor odorem balsami sulphuris, sed illum hepatis sulphuris referebat.
- c) Copula oleorum cum sulphure non successit, dum solutione hepatis, saponis solutionem infunderem, liquor fuscus etiam per coctionem floccos balsami sulphuris non seposuit.
- d) Simillimum expertus sum effectum, dum solutionem hepatis sulphuris Antimonii oleis immiscerem; cum Oleo Papav. albi optimum obtinui balsamum sulphuris antimoniatum.
- e) Hepar sulphuris (tam simplex quam Antimonii) cum oleis digestum, difficulter tantum solutionis vestigium in olea monstrabat, post plures dies Ol. Oliuarum colore imbuebat flauo, Ol. Pap. albi fusco, et odor balsami sulphuris quodammodo sentiebatur.
- f) Saponis vitriolici olei Oliuarum solutionem, cum hepatis sulphuris solutione miscens praecipitatum obtinebam griseo fuscum, quod tamen odorem balsami sulphuris vix referebat.
- g) Resi-
- n) Protracta tamen coctione etiam oleum Olinarum cum sulphure con-nubium init. V. LEWIS *Neues englisches Dispensatorium* Bresl. 1784. Tom. II. p. 541.
- o) WIEGLEBS *Handbuch der allgemeinen Chemie* Tom. II. p. 581.

g) Resinam olei Oliuarum ex acido Nitri (§. 14. nr. 3) probe elutam, cum solutione hepatis sulphuris coquens, oleum minus mutatum et cum sulphure quodammodo mixtum in fundo vasis reperiebatur, color sulphureus tamen, et odor debilis tantum balsami sulphuris, etiam hic mixtionem non omnino absolutam esse, indicabat.

OLEVM Pap. albi inde tam in solutione sulphuris quam metallorum et salium *p*) omnia reliqua olea vi antecellit, et non inmerito ergo Cel. BvCHHOLZ in mixtionibus magis compositis, quas sapones minerales vocat, et quarum praincipia sulphur auratum Antimonii liquidum siue Tinctura Antimonii Iacobi, a pluribus medicis magni aestumatur, omnibus reliquis oleis hoc praeferre videtur *q*).

His, obseruationibus finem imponere terminus praefixus subet. Neque ex meis obseruatiunculis neque ex aliis, quas hucusque nouisse mihi contigit, de partium constituentium proportione vel earum combinatione ratiocinari audeo; omnibus corporibus vi organica a natura commixtis, ea est constituta conditio, ut raro chemico liceat, de intima eorum fabrica iudicium ferre. Omnia ideo ista, quae de hac re, ratiocinio magis quam experimentis nixa, in medium proleta sunt, congerere supersedeo.

p) Simili tamen vi in corpora vegetabilia quae difficulter solvantur non praeditum esse videtur. Sic ol. Amygdalarum in solutione resinæ elasticæ omnia reliqua olea vnguicula antecellit, (v. cel. ACHARD *Physisch-chemische Schriften. Berlin 1780. Nr. IX.*): oleum e contrario Papaveris albi resinam elasticam tantum emollit, non soluit. (*Id. ibid.*) Oleum Oliuarum, alias oleo Amygdalarum simillimum, in hanc resinam tamen debilem vel nullam vim soluentem exserit (ill. praceptor GMELIN in CRELLES *Neuesten Entd. Tom. I. p. 45.*).

q) BvCHHOLZ *Dissert. de saponibus quibusdam mineralibus. Ienae 1763.* p. 23.

CONSPECTVS.

- 1) De Pinguedinibus in vniuersum. §. 1 — 5.
 - 2) Pinguedinum animalium et vegetabilium discrimen.
 - a) ratione ortus. §. 6 et 7.
 Ordinum naturalium plantarum olea vnguinoſa largientium idea. §. 8.
 - b) ratione partium constituentium remotarum et praeferunt acidi in illis contenti. §. 9.
 - c) ratione partium constituentium proximarum. §. 10 et 11.
 - 3) Oleorum vnguinosorum vegetabilium characteres specifici. §. 14.
 - 4) Eorum mixtio cum salibus acidis. §. 15 — 19.
 - 5) — — — alcalinis fixis. §. 20.
 - 6) — — — metallis. §. 21 — 30.
 - 7) — — — terris alcalinis. §. 31.
 - 8) — — — sulphure. §. 34.
-

